



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De gula. Cap. XXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

cius recompensatur. Insuper magnam gloriam in caelo meretur patienter tolerata pro Christo temporalis penuria: quia, Beati pauperes spiritu, &c.

De gula.

CAP. XXXVI.

Cassian. li.
5. de Spiri-
tu Gastri-
margia.
6. 23.

GULAE quatuor sunt species. Prima, ante debitum tempus, vel saepius quam deceat comedere, praeter necessitate, more pecudum. Secunda, cum nimia aviditate & impetu quodam vorare, sicut lupi & canes famelici. Tertia, nimis se implere, potius quam reficere, & plus sumere quam sit necesse ex inconsideratione vel delectatione. Quarta, nimis lauta vel exquisita quaerere. Haec nutrit avaritiam, sicut prior pigritiam vel acediam. Qui delicata quaerit, cupit diuitias, ut possit habere quae appetit. Nimia vero ciborum repletio pigritiam reddit: quia vas plenum ponderosum efficitur. Hebetat etiam intellectum, & affectum devotionis obruit & refrigerat, & agilitas retardatur, & in somnum ducit superflua ciborum repletio.

De remediis gulae.

CAP. XXXVII.

REMEDIA gulae. Contra primam speciem sufficit bona voluntas, ut nolit plus vel saepius comedere quam sit conueniens. Infirmis autem non est lex posita. Iuvenes vero & laborantes sicut exigit necessitas, discretè refici possunt, quando consuetudo vel ecclesiastica institutio non repugnat. Contra secundam utilis est disciplina verecundiae, ut modestè se habeat, & impetum refrænet. Item consideratio: quia inordinata & nimis festinata refectio naturam grauat & minus nutrit, & plus æquo vult.